

DISSERTATIO THEOLOGICA
DECADEM QVÆSTIONVM SELECTIORVM
DE
CHRISTO

EXHIBENS,

QVAM

GOELE FORTVNANTE NOSTRO

ET

CONSENTIENTE MAX. REV. FACVLTATE THEOLOGICA

SVB PRAESIDIO

DN. GEORGII FRID. *Wiehensch*

ROSTOCH.

PHIL. D. ET S. THEOL. LICENTIATI,

DOMINI FAVTORIS AC PRÆCEPTORIS
MAGNO OBSERVANTIÆ CVLTV PROSEQVENDI,

AD D. XII MARTII, A. MDCCIV.

IN AVDITORIO MAIORI

PVBLICAE PLACIDAEQVE DISQVISIONI
SVBIICIT

CAROLVS FRID. HABERSACK, TREPTOV-POM.
PHIL. ET S. THEOL. CVLTVR.

RECUSA ANNO MDCC XVI.

XII. 7. 16

Coll. diss. A
205, 10

Diss. A. 205. (10)

DISSERTATIO THEOLOGICA
DECADAM QUESTIONUM SELECTORUM

DE

CHRISTO

EXHIBENS

QUAM

GOELLE FORTVMAYTE NOSTRO

CONSISTENTE MARELLI FACULTATE THEOLOGICA

SEBASTIANO

DR. GEORGI FRID. SCHNEIDERI



PHILIP. S. THEOL. LICENTIATI

DOMINI THEOPH. AC. P. R. BOENITORS
MAGNO OBERA. NATIE. C. P. R. ROSE. ST. ENDY

AD P. XII. MARTIN. A. MDCCXV.

IN AUSTRIANO MARI

PUBLICAE PLACIDAEQUE DISPOSITIONI

SUBICIT

CAROLVS FRID. HARRSACK, Theop. P.

PHILIP. S. THEOL. LICENTIATI

REGISA ANNO MDCCXV





GOELE FORTUNANTE!
PRÆFAMEN.



Meditatio de passione Christi nec indecora Christianis, nec infructuosa esse potest. Quod si enim in civilibus ex alienis periculis nobis prudentiam conciliare fas & utile est; cur non magis ex spiritualibus, ex magni illius ovium Pastoris exemplo usum aliquem spirituales decerpamus, quo ad Christianam in adversis patientiam & virtuosam magni istius exempli imitationem & salutarem fidei exercitationem ac Christianæ charitatis ferventem exertionem extimulemur? Vere profecto & satis apte de Christi passione pronunciat.

Omnia nos Christi passio dira docet.

Nec minus eleganter pii veteres:

*In passione Domini,
Qua salus datur homini,*

*Sit nostrum desiderium,
Et cordis refrigerium.*

Cum itaque in Ecclesia hæctenus pulpita de cruenta Christi passione resonuerint: jucundum omnino ac utile erit, si & nonnulla in cathedra Academica in medium de ea proferamus. Ut illud Augustini fiat: *Cruce morientis facta est cathedra docentis.* Tu vero O dulcissime Jesu! ad sis gratia tua clementissime, ut omnia cedant feliciter, Amen.

A 2

QUÆSTIO

§. I.

ITa quidem olim Theologi *Tubingenses* locuti sunt, quibus adstipulatur B. D. *Job. Adamus Osiander* Theologus itidem *Tubingensis* celeberrimus in *System: P. II. Exerc. LX. th. II. p. 337. & Colleg. Theol. min p. 312.* Ante ipsos eadem phrasi usi fuerunt Patres.

§. II. Nos vero cum aliis præstantissimis Ecclesiæ nostræ Doctoribus negativam quæstionis nostræ sententiam tuemur, eamque probamus (I.) *Ex Scripturæ silentio.* Utitur equidem hæc terminis concretivis: Christum esse passum in carne, Filium Dei pro nobis esse traditum in mortem, Deum effudisse proprium sanguinem, Dominum gloriæ crucifixum esse, aut ubi termino abstractivo dicit; Deitatem esse passam & mortuam? Sicuti cum scriptura sentimus, ita quoque cum ea loqui fas est; nec ulla nos cogit ratio, ut heic a phrasibus biblicis recedamus & aliam arripiamus ac defendamus. Phrasis illa; Deitas est passa, explicabilis quidem est, sed inde non sequitur eam esse vel absolute necessariam aut aliis obtrudendam vel saltim accuratam, & velut omnino probam esse suscipiendam. (II.) *Ex Deitatis natura;* constat enim inter omnes, quod hæc simpliciter ἀπαθής & in se omnis prorsus passionis expers sit. (III.) *Ex unionis conditione.* Per Unionem non sublatum est discrimen naturarum. Sed hypostasis τῆς λόγῃ facta est carnis hypostasis ad unam personam σύνθετον constituendam. Potest igitur aliquid de tota persona prædicari secundum humanitatem & tamen minime consequens est, idem quoque tribuendum esse Deitati. Hoc probe tenendum

dum

dum : a tota persona ad abstractum Naturæ N. V. C. quia ne in naturalibus quidem omne illud, quod de toto dicitur, ideo omnibus convenit partibus; Sic homo est mortalis, homo vulneratur; an inde sequitur: animam esse mortalem & vulnerari? ἀτοπον! (IV.) Theologi phrasin hanc hæcenus improbarunt, quia Eutychianismum redolet, aut ad minimum Orthodoxos Eutychianismi proxime suspectos facit, & ansam calumniandi ac cavillandi Calvinianis dare potest. Cautè est ergo heic omnino procedendum, quia & species mali fugienda est, conf. B. D. *Affelmannus* in Syntagm. P. II. Disp. V. th. 60. sq. p. 161. B. *Höpffnerus* in LL. Comm. Loc. XIX. p. 311. B. Dn. D. *J. C. Schomerus* in Disp. de Passione J. C. §. 8.

§, III. Habent tamen quædam phraseos hujus Patroni, quæ speciem bonæ causæ præ se ferunt. Hinc *excipiunt* (I.) se non simpliciter dicere; Deitas est passa; sed Deitas τῆς λόγος Filii passa est carne s. in carne. Sed Resp. Ita quidem phrasis illa explicari potest; Sed tamen præter scripturam adhibetur. *Excip.* (II.) λόγος & Deitas λόγος non differunt realiter, quod si igitur dicere possum λόγος est passus, utique etiam dicere licet: Deitas λόγος est passa. Resp. Huic dubio solide satisfecit B. Avus meus Dn. D. *Königius* in Disp. ad Ps. CX. v. ult. Ao. 1654. Gryphis v. hab. cap. I. §. 18. Ita enim c. l. Quanquam inter divinam λόγος personam & inter divinam ejusdem naturam, in illa persona determinate sumtam s. Filii caractere personali determinatam, non intercedat discrimen reale; non tamen omnino nullum inter eas discrimen est; quod vel ex eo patet, quod pluscula prædicentur de λόγος persona, quæ tamen de natura divina λόγος prædicari nequeunt. Id jam exemplis illustrat B. *Vir*, pergit enim: sic rectè dico: Personam divinam λόγος realiter distingvi a Persona divina Patris & persona divina Spiritus S. at non licet dicere: Deitatem Filii, quantumvis determinate acceptam, realiter distin-

distingvi a Deitate Patris & Spiritus S. determinate accepta, quomodo possum dicere: Tres sunt personæ divinæ realiter invicem distinctæ; At non æque: Tres sunt realiter distinctæ naturæ divinæ s. Deitates determinate acceptæ. Sic λόγος & caro factus a scriptura adseritur. At non Deitas Filii s. λόγος caro facta dicitur. Sic Filius cum Patre communicat Spiritui Sancto per ineffabilem illam spirationem, eandem numero essentiam divinam, quam ipse a Patre habet per æternam generationem; ut hæc sit & dicatur quoque Spiritus S. essentia; sed non communicat Spiritui Sancto personam suam, ut hæc sit & dicatur quoque Spiritus S. persona, conf. B. *Feurbornius* Fasc. II. Disp. I. Excip. (III.) Recte dici: Naturam verbi esse incarnatam. E. & recte dici: Naturam verbi esse passam in carne. Resp. (1.) Committitur elenchus parium: Quum prior propositio pertineat ad duarum Christi naturarum unionem, posterior ad idiomatum communicationem. (2.) Ipsum antecedens negandum videtur: Nunquam enim Scriptura in abstracto dicit: Naturam verbi incarnatam, seu quod idem est, carnem factam esse. Semper vero ad describendum magnum pietatis mysterium concretivis utitur locutionibus dicendo: Verbum caro factum est; Deus manifestatus carne: Filius Dei factus est ex muliere &c. conf. interea B. *Königius* c. 1.

QUÆSTIO II.

AN DEUS GENERI HUMANO PECCATA
REMITTERE IDEMQUE IN GRATIAM RECIPERE
ABSQUE PRÆVIA SATISFACTIONE
CHRISTI POTUERIT?

§. I.

Affirmant (I.) *Arminiani* s. *Remonstrantes* in Apol. f. 46. & speciatim *Simon Episcopus* lib. V. instit. p. 407. & *Hugo Grotius*

Grotius Tract. de satisfactione Christi c. III. post plures Patres, Scholasticos & Calvinianos docentes : potuisse Deum absque omni satisfactione pro absoluto jure suo peccata hominibus condonare. (II.) *Quackeri* & in illis *Georgius Whitebaed* contra Scandretum c. IV. post Socinianos contendit; nullam a Deo ad peccata expianda requiri satisfactionem. Quibus (III.) addi potest *Antoniette Bourignon*, quæ in libr. sub tit. *Gezeugnis der Wahrheit* p. 170. n. 773. & 173. it. in *Lapide Lyd.* §. 134. alibique statuit: Homines absque merito Christi salvos fieri potuisse.

§. II. Antequam negativæ sententiæ rationes proferamus, nonnulla de statu controversiæ dicenda veniunt. Hunc vero ita formare non libet; *An Deus non possit per omnipotentiam suam absolutam generi humano peccata remittere idemque in gratiam recipere sine ulla satisfactione?* Ad absolutam enim potentiam Dei in hac controversia recurrendum non est, sed potius ex attributo sanctitatis, justitiæ & similium hujus controversiæ explicatio & determinatio arcessenda. Nonnulli potentiam Dei solam considerantes, omnia de eo affirmant: non attendentes, Deum nihil posse agere, nisi juste, sancte, veraciter, sapienetr, constanter & itaque ut omnibus suis attributis dignum est. Bene *Jctus Papinianus* ff. Lib. XXVIII. Tit. VII. Leg. XV. de Viro bono asserit. *Quæ facta ledunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram & ut generaliter dixerim contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est.* Id perfecto multo magis de Deo dici debet, quod non est testimonium perfectionum Dei, aut quod obscurat attributum aliquod Dei, aut gloriam Dei, Dei opus esse non potest. Malumus ergo controversiam hoc modo formare: *An Deus salva sua naturali sanctitate, justitia & veritate, generi humano peccata remittere idemque in gratiam recipere sine prævia satisfactione potuerit?* Nos negamus, & sequen-

quen-

quentes Adversariis opponimus theses, quarum *prima* hæc est: *Deus generi humano absque prævia satisfactione peccata remittere idemque in gratiam recipere non potuit.* Militat pro hac thesi (α) a parte Dei tum inviolabilis justitia & sanctitas, tum immutabilis veritas (β) ex parte nostri peccatorum atrocitas. Ut res clarior fiat, terminos sic colligo: Quidquid repugnat justitiæ & veritati divinæ, id quoque sub voluntatem & potentiam ejus non cadit. Atqui condonare peccata absque sufficienti satisfactione, repugnat justitiæ & veritati divinæ. E. Deus peccata absque satisfactione condonare non potuit. Majoris veritas tam manifesta est, ut, qui eam negare velit, simplicissimam attributorum quoad Deum identitatem simul in dubium vocare aut negare debeat. Minorem innumera fere & cuivis obvia Scripturæ S. oracula evincunt. Sufficiant nobis, quæ exstant Exod. XXXIV. 6. 7. Rom. I. 32. c. II. 5. 6. 7. c. III. 5. 6. 2. Tess. II. 6. *Altera* thesis hæc est: *Non potuerunt alia ratione homines Deo reconciliari, quam interveniente Christi satisfactione.* Patet illa thesis (1.) *ex tam pretiosa redemptione nostri* I. Petr. I. 19. & illustri charitatis documento, quo Deus propter nos ipsi suo Filio non pepercit Rom. VIII. 32. (2.) *ex natura justitiæ Divinæ*, quæ non præmissione peccati, sed etiam placamento sanguinis ostendenda erat cap. III. 25 & meliorem victimam requirebat, quam sanguinem vitulorum Hebr. IX. 23. coll. cum v. præced. (3.) *ex ipsa salute*, quæ non in alio titulo aut nomine hominum, sed in sola satisfactione Christi quærenda Act. IV. (4.) *ex absurdo*, quod evidentissima sequela deduci potest ex contradicentium opinione. Est autem hoc: mortem passionesque Christi plane frustraneas esse, omnique effectu & fructu carere. Id ut evidens fiat, sic infero: Si in Deo, etiam ante & citra satisfactionem Christi, sit potentia remittendi peccata non obstante justitia sua vindicatrice, nihil

hil egit Christus propterea patiendo & moriendo, ut talis in Deo potentia esset. Atqui hoc affirmant contradicentes, posse Deum absque satisfactione & sine violatione essentialis suæ justitiæ, peccata impunita dimittere. E. Christus nihil egit propterea patiendo & moriendo ut talis in Deo potentia esset. Majorem ita demonstro: Quia quod Christus morte sua impetrasse dicitur, etiam sine ista morte jam existat. Audiamus *Corvinum* in censura Anatom. Molinæi p. 436. sic differentem: *Potuisset nos Deus salvare citra satisfactionem Christi: sed non voluit id facere.* Minor constat ex *Apol. Remonstrantium* p. 46. Ubi communi nomine disertis verbis profitentur: *Statuere justitiam Dei vindicatricem sic esse Deo essentialem, ut Deus vi ejus obligetur & necessitetur ad puniendum peccata, ineptissimum & Deo indignissimum est.* conf. Interea pro thesi nostra B. Dn. D. *Scherzerus* in *System Theol.* Loc. IIX. de Christo §. 19. p. 206. sqq. it. *Brev. Hülsem.* extenso c. VII. de Missione Redempt. p. 353. sqq. Dn. D. *Daniel Lagus* in *Disp. de Cruenta Salvatoris passione* Anno 1654. *Gryphisw.* hab. Qu. I. B. Dn. D. *Schomerus* in *Coll. Recent. Controv.* Loc. de Christo §. XVI. Magnif. Dn. D. *Job. Frid. Mayer* in *Dissert. Sel. Disp. I. th. 3.* p. 12. sqq. E. Calvinianis videntur *Job. Coccejus* Tom. VI. opp. in *Summ. Theol.* cap. LXI. de Satisfact. Christi §. 5. f. m. 216. & in *Catech.* §. 46. Qu. XII. f. 10. sq. *Franciscus Burmannus* *Oeconfoed.* Lib. V. Tom. II. c. 19. p. m. 98. sq. *Hermannus Witsius* in *Oecon. foed.* Lib. II. c. VIII. p. m. 214. sqq. aliique, qui tamen cum cautela legendi, non enim sunt ubivis puri.

§. III. At opponunt nobis contradicentes: Deum ut partem offensam, quæ id potest, imo debet, de jure suo remittere potuisse. Sed Resp. Non solum ut pars offensa, sed præcipue ut iudex considerandus venit heic Deus, cum de poenarum irrogatione & remissione agatur; quod iudicis est,

B

quam

quam personam Deus hac in re primario gerit, nec unquam deponere potest, licet simul sit pars offensa. *Instant.*: Etiam supremum judicem juri suo renunciare posse. *Resp.* Verum hoc quidem est, si legem suam violet, at hoc Deo tribuere, impium & blasphemum est. Obvertunt porro; si tanta hinc rerum difficultas importetur, facili negotio, peccatum impediendo, potuisse Deum prævenire omnem hanc satisfactionis necessitatem *Resp.* Deus omnino impedit peccatum; impedimentum physicum quidem non semper ponit, posuit tamen impedimentum morale, ut hinc nulla ipsi lapsus culpa impu- tari queat. Quod Theologi passim contra *Calvinianos* lu- culentissime demonstrarunt. Ut dicam, quod res est: mu- tant heic Adversarii controversiæ statum; non enim quæri- tur: an ante lapsum opus fuerit satisfactione? Nostrates ad- versus *Scholasticos* & *Socinianos* constanter docuerunt; Chri- stum Redemptorem totius generis humani, non venturum fuisse, si Adamus in statu integritatis mansisset, aut non peccasset. Nam ubi nullum peccatum, ibi nec requiritur remissio aut satisfactio. At ubi nulla postulatur satisfactio, ibi nec opus est redemptore. Sed quæstio est; an peccatum commissum sine satisfactione a Deo condonari possit? Id ipsum est, quod negamus & pernegamus ex supra adductis rationibus. Solutionem aliorum argumentorum contrario- rum, qui desiderat, is haut gravatim adire poterit supra alle- gatos Doctores. Nos jam ad alia properamus.

QUÆSTIO III.

AN CHRISTUS ETIAM PRO MORTE FIDELIUM TEMPORALI SATISFECERIT?

§. I.

NEgant hanc quæstionem (I.) *Sociniani* asserentes; Chri-
stum mortem temporalem vice nostri non sustinuisse.
(II.)

(II.) *Hermannus Alexander Rælius* Theologus Franekeranus, vir, ut audit *Frid. Spanhemio* in Elench. controv. p. m. 672. sq. acri ingenio & dictione eleganti, qui nupere edidit Dissertationem de Generatione Filii & morte fidelium temporali, in qua hoc defendit assertum: Mortem temporalem Fidelium esse vere & proprie dictam pœnam peccati, qua satisfiat Dei justitiæ: Unde sequitur, Christum non ita plene Deo satisfecisse, ut etiam satisfecerit pro morte temporali, quatenus hæc est peccati pœna. Hanc sententiam improbavit Cl. *Campejus Vitringa* Dn. Roëlii Collega, eaque censuram Synodorum atque Academiæ tulit. vid. *Spanhemius* c. 1. Roëlii Partibus addictus est *Joh. Asgill* recentissimus scriptor Anglicus in eo, quod statuatur mortem temporalem fidelium esse vere & proprie dictam pœnam.

§. II. Nos vero illam affirmamus & dicimus (I.) in genere: *Christus mortem temporalem vice nostri sustinuit.* Prob. (a) Matth. XX. 28. ubi expresse dicitur: dare animam suam pro multis. (β) Joh. X. 15. Animam ponere dicitur pro ovibus. Unde facile colligere licet: Si animam dat: E. mortem sustinet (γ) Rom. V. 6. Ubi dicitur, quod Christus cum nullis adhuc viribus essemus, pro impiis mortuus. Quæ ad hæc *Socinus* excipit, diluta vide ap. *Joh. Maccovium* in Theol. polem. Qu. XII. c. XIV. p. 114. sq. Dicimus (II.) in specie: *Christus etiam pro morte fidelium temporali satisfecit.* Prob. (a) ex ipsa Christi satisfactione sufficientissima. Arguo: Quicumque non tantum pro omnibus peccatis nostris, verum etiam pro omnibus peccatorum pœnis satisfecit, ille omnino etiam pro morte fidelium satisfecit. Atqui Christus non tantum pro omnibus peccatis nostris, verum etiam pro omnibus peccatorum pœnis satisfecit. E. Christus etiam pro morte fidelium temporali satisfecit. Majoris veritas vel ex ipsis terminis constat. Minorem ad-

struunt dicta 1. Tehff. I. 10. Gal. III. 13. Jes. LIII. 5. (b) ex redemptione nostri a morte. Colligo : Quicumque a morte redempti dicuntur , pro illorum morte Christus etiam satisfecit. Atqui fideles a morte redempti dicuntur. E. Christus etiam pro eorum morte satisfecit. Major probatione haut eget. Minor constat ex Hof. XIII. 14. 1. Cor. XV. 14. Hebr. II. 14. quæ Theologi non tantum de morte æterna, sed & temporali explicant , quatenus peccati pœna est. (c) quia mors fidelium ac piorum non est pœna. Non possum, quin huc adscribam , quæ habet celeberrimus hodie Gryphisvaldensium Theologus Dn. D. Mayerus, in Programm. de desiderio moriendi in die Parasceves p. 7. Ita autem ille : Vere quidem pœna illa (mors) est impiis , quibus ob peccata ab irato scelerumque Vindice Deo, ita immittitur , ut nihil beneficii ex ea morientibus expectandum sit , quando quidem aditus ipsis est ad inferni supplicia nunquam finienda. Alia ratio mortis piorum & justificatorum , quæ tantum abest, ut pœna proprie dicta sit , ut beneficium potius haberi mereatur , a paterna misericordis Dei manu acceptum , remedium enim est calamitatum omnium, quibus subinde in his terris fideles Dei servi exercentur , & medium viaque , qua ad æterna paradisi gaudia ex voto transferuntur. Et hæc ex Apologia A. C. Tit. de Confess. & satisfactione p. 194. probat. Ea enim expressis verbis l. c. mortem sine sensu iræ (divinæ) non esse proprie pœnam , adserit. Neque, ait , jam in morte credentis, postquam fide terrores mortis vicit , ille aculeus est , & sensus iræ , de quo dicit Paulus : aculeus mortis peccatum est , potentia vero peccati lex. Illa potentia peccati, ille sensus iræ , vere est pœna , donec adest mors sine illo sensu iræ proprie non est pœna. Consentiant in hoc puncto Theologi. Videtis B. Hülfemannum in Breviario c. XVI. §. 13. & B. Scherzerum in Dilucidatione p. m. 1133. & in System p. m.

p. m.

p. m. 549. Maxime Rev. Dn. D. *Job. Georgium Pritium* Factorem nostrum honoratissimum in Disp. Theol. de Translatione in vitam æternam sine transitu per mortem contrascriptorem Anglum *Joh. Asgill.* aliosque passim.

§. III. Nunc tandem paucis Roëlianum Argumentum examinandum erit. Illud autem desumptum est ex *eventu*, dum a morte temporali fideles non liberantur. Verum enim vero *Resp.* (1.) Eodem Argumento uti solent Sociniani ad probandam suam sententiam §. 1. notatam (2.) Nititur falsa hypothese, acsi in morte fidelium, eaque solatiorum, gaudii fiduciaque plena, remaneat id, quod formaliter pœnale est. (3.) Nulla est consequentia, Christus fideles non liberavit, ab omni effectu, aut sequela peccati, morbis, calamitatibus, excessu ex vita mortali, E. non omnem vere pœnam peccato debitam sustulit Christus satisfaciendo pro iis. Idem enim esset, acsi concluderem: Christus nos non liberavit a peccati inhærentia inhabitantis adhuc in regenitis Rom. VII. 17. E. nec nos liberavit a pœna peccati vel adhærente reatu. Si posterius affirmatur atque conceditur, ipsa Christi satisfactio cum Sociniani negatur. (4.) Sustulit omnino Christus mortem, non ut non sit, sed ut non sit pœna. Hinc Cohel. VII. v. 1. dicitur: Diem mortis meliorem esse die, quo homo nascitur. vid. *Witsius* in *Oecon*, foed. Lib. II. c. VI. §. 54. p. 199. Strophas Socinianorum dispulit *Maccovius* l. c. p. 115.

QUÆSTIO IV.

AN CHRISTUS DICI POSSIT PECCATOR?

§. I

Robertus Bellarminus lib. II. de Justif. c. VII. absurdum & blasphemum esse putat, Christum dici peccatorem

B 3

sed

sed merito castigatur a B. Avo meo Dn. D. *Königio* in Disp. de Jure Legis impleto ad Rom. VIII. 3. 4. Anno 1664. Rostochii hab. c. III. par. IV. §. 4. sq. Eadem controversia inter Anti-Nomos & Neo-nomos hodie agitur, uti refert Dn. *Hartnaci* in Contin. Histor. Eccl. Micræl. p. 2176. sq. qui & in negativam ivit sententiam. Immiscuit se hisce controversiis Celeberrimus *Witsius* in Animadversionibus Irenicis ad Controv. quæ sub infauftis Antinomorum nominibus in Britannia nunc agitantur Ultrajecti Anno 1696. editis.

§. II. Nos supponimus in antecessum : Redemptorem nostrum heic considerari, non quis sit in se ac per se, sed quis sit in officio suo satisfactorio, cum universo onere peccatorum nostrorum in judicio divino sibi imputatorum, non secus ac si ipse omnia in propria persona commisisset ut ita peccator eum denotet, qui peccatum, licet non perpetrarit, alienum tamen suscepit velut suum. Hoc supposito dicimus : *Christus omnino dici potest peccator.* Prob. (I.) Quia Christus dicitur factus pro nobis peccatum. Imo duobus modis Christus fuit peccatum pro nobis. Primo juxta Hebraismum peccatum i. e. peccator, quia peccata nostra portavit Joh. II. 29. secundo dicitur peccatum, quia fuit victima pro peccato & pœnam peccatorum sustulit. Utrumque significavit Petrus 1. Epist. II. 24. Et satis emphaticus locus est, qui extat. 2. Cor. V. 21' *Deus eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Ubi abstractum pro concreto cum insigni emphasi positum esse arbitrantur Interpretes. Peccatum ergo, peccatorem omnium maximum denotat, qua ratione etiam Christus, prout spectatur in officio suo satisfactorio, maledictum, hoc est, maledictissimus dicitur Gal. III. 13. Prob. (II.) Quia Christus nostra peccata sibi ipsi tribuere non vere-

vere-

veretur conf. Ps. XL. 13. Ps. LXIX. 6. nisi Redemptor hic noster in iudicio divino, pro peccatore nostro reputatus fuisset, nunquam peccata sibi ullo modo tribuere potuisset. Agnoscit ergo ipse, loquor cum B. *Königio*, se peccatorem, ea ratione, qua peccata sibi tribuit. Tribuit vero ea sibi propter factam imputationem iudicialem: Itaque quatenus ipsi peccata hæc imputata fuerunt, non potuit non pro peccatore in iudicio divino & ipse habere se & haberi a iudice. Utique E. recte dicitur, ipsum peccatum i. e. peccatorem maximum pro nobis factum esse. *Beccanus* in Man. ait: Christum vocari peccatum, quia participavit carnem similem carni peccati ex Rom. VIII. 13. Sed B. Dn. D. *Scherzerus* in Coll. MSS. Loc. de Christo th. LIX. respondet: falsam esse connexionem (α) sic enim homo ante lapsum potuisset dici peccatum, quod absurdum (β) hanc rationem nunquam probari posse ex Scriptura, quæ Christum vocet peccatum phrasi hebræa, ubi $\pi\alpha\sigma\tau\omega$ hostiam pro peccato notat. B. vero D. *Dorscheus* eandem habet rationem, quam *Scherzerus* rejicit. vid. ejus $\xi\eta\tau\acute{\eta}\mu\alpha\tau\alpha$ in 1. Epist. Joh. p. 71. qu. IX. Locum 2. Cor. V. 21. erudite & solide itidem explicat B. *Dorscheus* P. I. Theol. Zach. p. 328. §. 389. conf. interea de hac materia B. D. *Schomerus* in Exeg. ad h. l. Dn. D. *Joh. Fried. Mayer.* in Disp. de Christo omnium peccatorum maximo. E Calvinianis *Joh. Coccejus* Tom. IV. Opp. in 2. Cor. V. 21. *Antonius Cregutus* in Revelat. Arcan. p. 75. sq.

§. III. Obvertit *Bellarminus*: Si Christus dicendus peccator, etiam dici potest Filius Diaboli. Verum Resp. Negando consequentiam. Peccatorem esse & Filium Diaboli non sunt unum idemque. Sic omnes homines, qui caro de carne nati sunt peccatores, non tamen omnes stylo & phrasi Scripturæ vocantur, vel sunt Filii Diaboli; sed ii
tan-

tantum hoc nomine insigniuntur, qui patrandis proæreticis & malitiosis peccatis Diabolum imitari student juxta Matth. XIII. 38. Joh. VIII. 41. 44. Quis ergo nisi insanæ mentis homo asseret; illum Filium Diaboli dici posse, qui omnis omnino peccati expers, ex alieno saltim peccato, sibi judicialiter imputato, peccator factus dicitur?

QUÆSTIO V.

AN CHRISTUS PRO SEMET IPSO
IMPLEVERIT LEGEM, AUT IMPLERE
DEBUERIT?

§. I.

PRO affirmativa acriter militat (I.) *Hermannus Witsius*, Belga, ut alios religioni Calvinianæ addictos silentio præteream, in *Oecon. fœd.* lib. II. c. III. §. 9. sqq. p. m. 145. Docet enim (1.) Christum qua hominem sine dubio subjectum fuisse legi morali, in quantum naturæ & actionum humanarum norma est (2.) Eum qua Israëlitam fuisse subjectum Legi ceremoniali & politicæ (3.) qua Mediatorem dupliciter sub lege esse (α) ut imperante conditionem sub qua ipse cum suis particeps foret felicitatis. Idque cum nostri causa in se susceperit, merito obedientiam ipsius activam, quam pro se ipso uti homo debuerit, nobis imputari (β) sub lege eum fuisse ait, ut obligante ad pœnam & §. XVIII. p. 148. dicit: humanæ naturæ non tantum naturalem subjectionem competere, sed & singularem quandam obligationem ex unione hypostatica ipsi superaccessisse. conf. *Disp. nostra pro Baccal. de Crucifixione Christi* Sect. II. Domat. Adfert. III. §. X. (II.) B. Dn. D. *Christophorus Frankius* Theologus Kiloniensis alias celeberrimus
in

in Disputatione de Imputatione justitiæ Christi cap. II. §. 2. sqq. statuit : Christum pro se ita implevisse legem , ut pro aliis simul impleverit. Summa hujus hypotheseos huc redit : Ab omni homine ratione utente qua tali obedientiam Legi naturæ præstandam per se requiri , adeoque & Christum , quatenus homo est ratione utens eandem pro se Legi debere. Esse autem Legem naturæ nihil aliud , quam dictamen rectæ rationis , creaturæ rationali præcipiens , quid facere & omittere immutabiliter debeat. Nec ab hac lege Christum qua homo est excipi posse ; quanquam enim simul Deus sit ; tamen ideo non desinere esse hominem , adeoque legi naturæ obnoxium. Nec concipi quidem posse creaturam rationalem , ut talem , esse sine obligatione erga Deum creatorem suum. Hæc est celeberrimi Viri sententia , quæ a nemine Theologorum , quod sciam hætenus publice aut defensa aut approbata est. In fundamenta illius sententiæ hac vice inquirere ob pagellarum angustiam nec licet nec libet. Veneror equidem Theologum hunc celeberrimum etiam post fata , sed in hoc puncto ab ipso recedere cogor ob rationes mox suppeditandas.

§. II. Negativam ergo sententiam in me defendendam salva contradicentium autoritate suscipio & hanc pono adsertionem *Christus pro se legem nec implevit nec implere debuit.* Prob. (I.) *Ex fine adventus sui.* Quem quæso ! in finem Christus venit ? Ut pro nobis impleret legem Matth. V. 17. & voluntatem Patris præstaret ; hinc Gal. IV. 4. dicitur nostri causa Legi subjectus & 1. Cor. I. 30. nobis justitia factus. Prob. (II.) *ex ipsa satisfactione pro nobis præstita.* Scriptura agens de satisfactione , objectum pro quo personale non ipsum Christum sed homines lapsos constituit ; hinc dicit ; Christum se ipsum pro nobis sacrifici-

C

um

um dedisse Jes. LIII. 10. Eph. V. 2. mox asserit; Christum pro nobis factum esse peccatum 2. Cor. V. 21. Objectum pro quo reale sunt nostra peccata; nostra peccata Christus tulit Jes. LIII. 12. nostra peccata suo corpore sustulit in lignum 1. Petr. II. 24. propter nostra peccata traditus est Rom. I. 28. pro nostris peccatis oblationem corporis sui fecit Hebr. X. II. 12. Christus est agnus tollens peccata nostra Joh. II. 29. Ipse nullum patrauerat peccatum, adeoque pro se satisfacere non debebat. Pro se legem implere non debebat. Prob. (III.) *Ex unione personali.* Vi hujus jam Dominus Sabbati erat Matth. XII. 8. Legis Dominus erat gloriamque divinam habuit Joh. I. 14. Ea se voluntarie exinanivit Phil. II. 17. & ut eam recuperaret merito nullo indigebat.

§. III. At vero obvertit *Witsius* c. I. p. 146. §. XI. Locum Matth. XII. 8. intelligendum esse de Christo, quatenus Deus est & Dei Filius est. *Resp.* Fluit hæc expositio ex negatione communicationis idiomatum. Christus etiam secundum humanam naturam vi unionis personalis & inde fluentis idiomatum communicationis Dominus Sabbati est. Et Christo secundum humanam naturam prædicatum, quod Dominus Sabbati sit, competere, patet ex eo, quia secundum humanam naturam, vel ab humana natura dicitur Filius hominis. Arguo: secundum quam naturam, vel a qua natura dicitur Filius hominis, ab ea etiam dicitur Dominus Sabbati. Atqui ab humana natura dicitur Filius hominis. E. conf. B. Dn. D. *Schomerus* in Collegio recent. controv. cap. XI. §. X. *Hugonis Grotii* glossam qua contendit; per Filium hominis quemlibet intelligi hominem, non moramur; nullo enim nititur fundamento, uti contra ipsum Magnus noster *Calovius* fuse atque solide demonstravit. Porro oggerit *Witsius*: Christum non tantum homi-

homi-

hominem & communem mundi incolam, sed & Israëlitam i. e. Ecclesiæ Veteris Testamenti membrum & reipublicæ Judaicæ civem fuisse. E. Eundem quoque subjectum fuisse legibus ceremonialibus & politicis. Resp. (1.) Limit. majorem: Quicumque est Israëlita $\psi\lambda\theta$, neque simul fœderis hujus Autor & Dominus, is jure fœderis legi obsequium præstare tenetur. Sic falsa minor (2.) Merito in *Wit-
sio* improbanda est impietas, quando Christum communem incolam vocat. In ipso enim omnis Deitatis plenitudo habitat. Tandem alii objiciunt; Christum fuisse in protoplastis cum ipsis Lex præscripta, ideoque legi subjectus. Resp. Christus non merus homo, sed & simul verus essentialis Deus, ac ne quidem secundum quod homo est, ex primis parentibus oriundus, quoad rationem seminalem in illis fuit, sed quoad promissionem paradisiacam Rom. III. 15. ab ipsis traxit ortum. Denique alii obvertunt: Christum ut summum sacerdotem debuisse pro se esse sanctum h. e. legi perfectissime conformem Ebr. VII. 26. R. latet ambiguitas in phrasi pro se debere esse sanctum, quæ prius tollenda est: Vel enim id notat; Mediatoris inter Deum & hominem requisitum necessarium esse sanctitatem omnimodam, vel id; Eum debere sanctitatem Deo ac legi per modum subjectionis, jam lim: majorem. Qui fuit Sacerdos ac mediator noster, ille debuit esse Sanctus, si non per modum subjectionis, saltem per modum requisitæ perfectionis. sic largimur totum, nam diversissima sunt esse Legi conformem & esse Legi subjectum. Conf. Magnif. Dn. D. *Jacobi Henningii* Disput. de Sabbati Christian: moralitate §. XII. it. Disp. de Religionum Socin & Calvin. vicinitate inque oppugnanda gloria $\theta\epsilon\alpha\nu\theta\epsilon\omega\pi\alpha$ Harm. in Artic. de Christo Sect. II. de officio Christi Th. II. it. Th. IV. Dn. *Joh. Volckmari* Disput. Inaug. de Meritis Adami in

Statu integritatis, Hafniæ sub præsidio Dn. D. *Joh. Baggeri*
hab. §. 32. p. 30.

QUÆSTIO VI.

UTRUM EX CONFORTATIONE ANGE-
LICA LUC. XXII. v. 43. POSSIT PROBARI
CHRISTUM SECUNDUM H. N. FU-
ISSE PECCABILEM?

§. I.

A*Rminiani* post Scholasticos, Scotum, Bielem Molinam
aliosque fatentur quidem Christum ipso actu non pec-
casse, statuunt tamen eum revera peccare potuisse. Audia-
mus heic ex multis *Philippum a Limborch.* qui Lib. IV *Christ.*
Theol. c. XIII. §. 18. p. 375. ita differit: *Quod ad Dominum*
nostrum Jesum Christum, probari nequit, ipsum in diebus car-
nis suæ respectu naturæ suæ humanæ, a potentia præcepto di-
vino, de redimendo humano genere per mortem suam, non
obediendi fuisse immunem: quod si quis peccandi potentiam vo-
care velit, nos de voce non multum contendemus (Quam-
vis peccatum proprie sit, per quod quis pœne divine reus sit,
quod in Christo locum habere non potuit) Quoniam enim nulla
facta est naturarum confusio, quæ causa, quod impeccabilitas,
naturæ divine attributum magis communicata sit humanæ na-
turæ quam reliqua attributa: aut quam humanæ naturæ attri-
buta communicata sunt divine; Imo si Dominus impeccabilis
prorsus fuisset ratione naturæ suæ humanæ, nobis per omnia
similis, solo peccato excepto, dici non posset, uti legimus He-
br. II. 17. IV. 15. Sed summa inter ipsum & nos dissimilitudo
esset: nec illius obedientia, uti passim fit, nobis in exemplum
propo-

propo-

proponi possent. Conf. *Episcopus* in Resp. ad Defens. Cameronis c. 13. Nec video, quomodo ea excusari queant, quæ non ita pridem, ut mihi ab Amico atque Fautore certissimo relatum est, *Novator* quidam *Darmstadiensis* e *suggestu* protulit. Der HERR Christus wäre mit unzüchtigen und Gotteslästerlichen Gedancken versucht worden / wiewohl ohne Sünde. Ultima verba locutionem emollire videntur, sed vero eam non faciunt, si meum hic valere possit iudicium, tolerabilem. Blasphemias enim & incastas cogitationes sine peccato nemo fovere potest.

§. II. Provocant Arminiani in specie ad confortationem angelicam, putantes, se in ea sententiæ suæ robur præsidiumque invenisse. Sed frustra. Nam (I.) Christus luctabatur cum peccatis alienis non propriis. Namque & secundum humanam naturam non noverat peccatum, ceu testis est Apostolus 2. Cor. V. v. 21. non fecerat peccatum docente Petro 1. Epist. II. 22. Imo tanta gaudebat puritate humana Christi natura, ut & a fomite & potentia peccandi omnino fuerit immunis: Erat enim Christus agnus immaculatus & incontaminatus 1. Petr. I. 19. Atqui peccare posse macula est: peccare enim posse, involvit quoque posse ut peccatorem æternum damnari. Quis vero hæc de Christo dicere auderet? conf. Dn. D. *Joh. Fried. Mayer* in Dissert. Sel. p. 38. sq. (II.) Auxilium Angeli, loquimur cum B. *Schomero*, pertinuit ad robur naturæ dandum, non vero ad desperationis periculum avertendum.

§. III. Objicitur (I.) Si Christus peccare non potuit, sequitur ipsius actiones laude dignas nec fuisse. R. Quis non videt stolidam hanc omnino esse consequentiam? si valeret, eadem ratione concludere possem: Deus, Angeli boni & beati non possunt peccare, ergo illorum actiones non sunt laude dignæ. Quæ consequentia cum absurda sit,

fit, & altera illa subsistere nequit, utriusque enim par est ratio. Objic. (II.) *Christum dici peccatum* 2. Cor. V. 21. R. (1.) Dicitur in Textu, quod *pro nobis* peccatum sit factus, adeoque sermo est de peccato imputativo. Quis vero a peccato imputativo ad inhæsiuum concluderet? R. (2.) a peccato medicinali ad formale N. V. C. ut recte monet B. Scherzerus.

QUÆSTIO VII.

AN CHRISTUS IN HORTO GETH-
SEMANE SENSERIT DOLORES INFER-
NALES, QUALES OLIM PASSURI
SUNT DAMNATI?

§. I.

Respondet Arminianorum Antesignanus *Stephanus Curcellæus* Lib. V. instit. cap. IX. §. IV. *minime*: Rationes duas subjungit: *Nam inter cruciatus damnatorum hic est gravissimus quod sentiant Deum sibi iratum & nullam inde liberationem sperent in æternum.* De quibus infra dicendi locus erit. Negant etiam Pontificii communiter; Christum sustinuisse pœnas infernales. Conferri ex multis poterunt *Salmeron* Tom. IX. tract. 50. *Svarez* Tom. II. XXX. Sect. I. Quibus addi possunt e Socinianis ipse *Socinus* cap. VIII. prælect. Theol. *Smalzius* contra *Smigletium* & *Crellius* peculiari tract. de satisfact. contra *Grotium*, *Catechismus Racoviensis* de morte Christi qv. XII. *Volckelius* lib. V. de vera Relig. C. XXII, qui simpliciter satisfactionem Christi pro nobis impossibilem & absurdam esse contendunt. De hac materia etiam hodie inter Anti-nomos & Neo-nomos in Anglia disceptatur.

§. II.

§. II. Ad statum controversiæ rite formandum, observetur in Theologorum Scholis recepta distinctio; inter *pœnæ quidditatem s. essentiam & inter ejusdem circumstantiam*. Non ergo quæritur. An Christus passus sit pœnas damnatorum quoad omnes earundem circumstantias? Hoc enim Theologi nostri hætenus uno ore negarunt. Nam Christus neque in $\pi\delta$ inferni, neque quoad durationem in æternum, eas passus est. Sed hoc quæritur: An pœnas damnatorum Christus pro nobis sustinuerit, si spectentur illæ secundum essentiam & quidditatem suam? Idque Theologi affirmarunt, quibus nos subscribimus dicentes: *Christus in horto Gethsemane sensit dolores, quales olim passuri sunt damnati?* Ne vero quid sine ratione dixisse videamur, provocamus (I) *ad vehementem & acerbam ἀγωνίαν quam heic Christus sustinere debuit.* Matthæus de ea agens cap. XXVI. 38. dicit $\pi\epsilon\rho\acute{\iota}\lambda\upsilon\pi\omicron\nu$ esse animam Christi usque ad mortem. i. e. ea occupatam cordis anxietate ac compressione, quæ ex ipsius æternæ mortis sensu profecta sit. Alia in textu occurrentia ut hac vice non tangamus, Marcus cap. XIV. 33. utitur voce $\epsilon\kappa\theta\alpha\mu\beta\epsilon\iota\theta\alpha\iota$, quæ apud interpretes denotat penitissimo animi horrore concuti ad subitum rei horribilis conspectum. Quam in rem adduci solent Marc. XVI. 5. Act. IX. 6. Lucas cap. XXII. 44. vocem $\alpha\gamma\omega\upsilon\acute{\iota}\alpha\nu$ adhibet, quæ acerrimum animi motum, luctamque ac dimicationem cogitationum, cujusmodi in iis conspici solent, qui grave aliquod certamen initari sunt, vel illud aggressi in eo laborant, innuit. Ex hac descripta ab Evangelistis vehementi ac acerba $\alpha\gamma\omega\upsilon\acute{\iota}\alpha$ merito colligere licet; non pœnas aliquas externas, vel metum temporalem, sed pœnarum internarum, spiritualium, ac infernalium sensum expressisse dulcissimo Salvatore sudorem sanguineum. Provocamus (II) *ad ipsam mediatorii officii rationem.* Duo heic argumenta urgemus. Primum generale est & ita sonat: **Qui-**

Qui-

Quicumque omnes peccatorum nostrorum pœnas in se suscepit, is etiam pœnas infernales nobis alioqui luendas in se suscepit. A. Christus Mediator omnes peccatorum nostrorum pœnas in se suscepit. E. & pœnas infernales nobis alioqui luendas in se suscepit. Major per se clara est. Minor constat ex eo, quia Christus vice nostri Consummatam satisfactionem justitiæ divinæ præstitit Hebr. X. 14. Rom. V. 15. 17. 20. Alterum argumentum speciale est. Quicumque propter genus humanum maledictissimus omnium hominum factus est, ut nos a maledictione legis redimeret, is spirituales & infernales pœnas hominum vice sensit. Atqui Christus propter Univerfum genus humanum maledictissimus omnium hominum factus est, ut nos a maledictione legis redimeret. Ergo, Christus hominum vice pœnas spirituales & infernales sensit. Majoris veritatem nemo in dubium vocabit, qui attendit maledictionem legis complecti omnes peccatorum pœnas, sic & spirituales & æternas, & liberationem nostri a maledictione legis non potuisse fieri, nisi ad præviam satisfactionem pro debitis maledictioni obnoxiorum hominum. Minor constat ex Gal. III. 13. 14. conf. B. *Job. Gerhardus* in *Explicat. Evang. Domin.* p. 482. sq.

§. III. Objicitur a *Curcellæo* (I.) *Filium Dei non sensisse Deum Patrem sibi iratum* Resp. Idem obvertunt *Pontificii* ut *Robertus Bellarminus* lib. IV. de *Anima Christi* cap. 8. *Gregorius de Valentia* Tom. V. in 3. part. Thom. Disp. III. qv. 4. p. 2. *Faverdentius* de *Christo patiente* in *Theomachia* lib. V. c. 8. *Adamus Conzenius* Comm. sup. XXVII. Matth. v. 46. qv. 2. §. 9. Nos vero contrarium defendimus. Ante omnia autem tenendum est, dum Patrem Christo in passione cruenta iratum dicimus, Salvatorem a nobis considerari non in se aut per se ac absolute, ut DEI & Mariæ Filius est, sic enim sub odium DEI Patris non cadit; sed relate & in officio suo
fatis-

satisfactorio, quatenus in iudicio DEI totum genus humanum lapsum repræsentat & omnia omnium hominum peccata portat. Et sic Pater cœlestis vi justitiæ suæ non potuit non extreme odisse eum, tanquam maledictissimum Gal. III. 12. & peccatorum, quos sol unquam vidit, omnium maximum 2. Cor. V. 21. Qui adhuc de veritate dubitandi rationes fovet, in timore Domini dicta Scripturæ evidentissima secum perpendat, quæ de hoc argumento benignissimum numen in fidei nostræ confirmationem extare voluit Ps. XXII. 2. Jes. LIII. 4. 5. 6. 8. Matth. XXVII. 46. Marc. XV. 34. Rom. III. 25. VIII. 3. 32. conf. B. D. *Calovius* in Disp. de persona & officio Christi contr. *Curcellæum* §. 24. Dn. D. *Job. Frid. Mayer* in Disp. de Confortat: Angel. p. 20. Quod vero (II.) advertitur: cum pœna damnatorum conjunctam esse desperationem. Si Ergo Christus sustinuit pœnam damnatorum, etiam Christus desperavit. Ad id resp. (I.) distinctio heic repetenda inter pœnæ essentiam & ejusdem adjunctam circumstantiam. Pœnas infernales, ut supra jam monuimus, Christus nostri loco subiit quoad essentiam, id est magnitudinem doloris & derelictionis præsentis, quod postulavit divina justitia & veritas, non vero quoad circumstantiam quoad spem futuri abjectam, quia fuit æternus & infinitus Deus, qui in infinita virtute potuit mortem vincere & vicit. Resp. (2.) Desperare eorum est, qui dolores inferni ob peccata propria sentiunt. Christus autem ob aliena. Ac ut ipse peccatum in se non habuit, sic desperationem habere non potuit, quæ revera gravissimum & atrocissimum peccatum. Nam qui desperat & blasphemat Deum, inquit *Coccejus* Tom. I. opp. Comm. in Gen. §. 73. f. 69. Resp. (3.) Non sequitur: Qui pœnas infernales sentit, ille desperat. Do instantiam: Multi fideles dolores inferni in hac vita sentiunt cum Davide Ps. XVIII, 5. 6. Ps. CXVI. 3. & *Hischia* Jes. XXXVIII. 3. an autem illi succumbunt? minime. In

D

Christo

Christo & per Christum vincunt adeoque non desperant. Resp. (4.) Desperare eorum est, qui nec auxilium Dei habent, nec per merita sua salva Dei justitia habere possunt, cum ira Dei super eos maneat Joh. III. 36. At hoc Christo non competit, cui semper Dominus a dextris. Resp. (5.) Aliud est desperare; aliud desperatorum & damnandorum supplicium sustinere, illudque vincere. Hoc Christo tribui potest, non illud. Quæ *Calvino* hic a Jesuitis imputari solent, fuse examinavit *Chamier* Tom. II. Panstrat. lib. IV. de Christo c. XIII. & lib. V. c. XI. sqq. conf. *Burmannus* Tom. II. Oecon. fœd. lib. V. c. XVII. p. 9. §. X. Pro thesi nostra vid. omnino B. D. *Dorscheus* in Theol. Zach. P. I. p. 190. sqq. §. 193. sqq. B. *Stephanus Klotzius* in Tract. de doloribus animæ Christi confid. XVI. p. 46. sqq. B. *Joh. Frid. König.* in Disp. de sudore sanguineo Christi aph. III. & in Disp. de candido & rubicundo cap. I. §. 36. B. *Augustus Varenus* in Disp. ad Luc. XXII. Sect. II. §. 4. B. *Dan. Lagus* in Disp. de cruenta Salvatoris passione assert. IV. §. 21. sqq. B. *Salomon Glassius* in Disp. ad Jes. LIII. Sect. priori Qv. 4. B. *Ottonis* in Disp. Inaug. de agno ob origine mundi mactato membr. III. th. XIII. B. *Henricus Müllerus* in Disp. de Catholicismo meriti Christi Sect. II. th. III. §. 6. sq. B. *Schomerus* in Disp. de passione Salvatoris J. C. §. 10. Magnif. Dn. D. *Joh. Frid. Mayer* in Disp. de Confort. Angel. §. 13. Sect. I. p. 22. sqq. & in Disp. de quæstione: Utrum ipse DEUS necem redemptori intulisset, si abstinuissent homines? Anno 1702. Gryphisw. hab. p. 7. 9. sqq.

QUÆSTIO VIII.

AN MORS CHRISTI FUERIT MERITUM?

§. I.

Stephanus Curcellæus mortem Christi potius martyrium quam meritum fuisse adserit: sic enim in Instit. lib. V. cap. VIII. §. 2. de

de morte Christi scribit, quod primus ac præcipuus ejus fructus sit, quod de veritate & certitudine doctrinæ Evangelicæ, quam annunciavit, testimonium præbeat. *Jacobus Altingius* in Epist. ad Joh. Rudol. Wetst. op. Tom. ult. p. 393. adseruit: *mortem corporalem Christi ad satisfactiones pertinere, non promerendam, sed representandam.* Qua propter eum perstrinxit *Witsius* in Oecon. foed. Lib. II. cap. VI. p. 180. sqq.

§. II. At vero morti Salvatoris nostri dulcissimi meriti & satisfactionis valorem competere diserte adstruunt sacrae paginae, ut mirandum omnino sit a quoquam hoc negari posse. Pensitemus, uti fas est, ea Scripturae loca, quæ de morte Christi agunt (I) *Jesaias* cap. LIII. 10. inquit: *Postquam anima ipsius se posuerit victimam pro peccato.* Quod *Christus* ipse dicit *Matth.* XX. 28. & *Joh.* X. 15. Animam autem dare, quid aliud est, quam mori morte corporis, quæ resurrectione finitur. Et ut omnis dubitandi ansa præscindatur, consideret quis in timore Domini eam explicationem, quam ipse *Christus* v. 17. suppeditavit: *Ego animam pono, ut rursus accipiam eam,* & quomodo *Johannes* Cap. XIX. 30. Cum mortem Christi corpoream describit, eam proponat, *παρέδωκε τὸ πνεῦμα,* inquit. (II) Quid evidentius est illo *Petri* loco, qui legitur *1. Petr.* III. 18. *Christus semel pro peccatis passus est: mortificatus quidem carne i. e. corpore.* Ubi mors corporis proponitur, ut pars illarum passionum, quas *Christus* pro peccatis sustinuit. Adde quod *Paulus* scribit *Col.* I. 22. *Reconciliavit vos in corpore carnis suæ per mortem* *Rom.* V. 10. *Reconciliati sumus Deo per mortem Filii ipsius* (III.) Fortius stringent hæc argumenta, si attendamus manifestam heic esse allusionem ad satisfactionem typicam, quæ fiebat sanguine victimæ fuso, a corpore ita separato ut mors conjuncta foret. Sanguis autem pro anima datur. Ergo vera satisfactio facta est per separationem animæ *Christi* a corpore, ut inter typum & antitypum conveniat.

§. III. Accedamus nunc ad argumenta contrariæ sententiæ, quæ nobis cognoscere datum est. Eorum autem (I.) hoc est: Scripturam, quando morti Christi redemptionem nostram adscribit, per eam mortem intelligere intensissimos illos mortis æternæ dolores, quos Christus corpore & anima junctos sustinuit, quum se a Deo suo derelictum quereretur. *Resp.* Unius positio non est alterius exclusio. Ambabus largimur dolores intensissimos, quos Christus nostri loco sensit, ex ambitu mortis non esse secludendos, sed inde neutiquam sequitur, mortem corporis ex ambitu mortis esse excludendam. Major est autoritas Petri & totius Scripturæ sacræ, quam hujus vel illius Novaturientis. *Petrus* expresse de morte carnis loquitur 1. Petr. III. 18. & tota Scriptura illi morti vindicat lytrum, ex qua Christus per resurrectionem surrexit, conferantur, quæ superiori §. adducta a nobis sunt. (II.) argumentum est: Christum jam ante dixisse; consummatum est. *Resp.* Hoc ipso Christus nihil aliud indicare voluit, quam se hæcenus ea perfecte præstitisse, quæ præstanda erant, adeoque nihil restare, nisi pia morte cuncta concludere: Mori autem Christus debuit propter satisfactionem; hinc dicitur Matth. XXII. 28. δῶναι τὴν ψυχὴν αὐτῆς λύτρον ἀντὶ πολλῶν. Et ita justitiæ Dei satisfecit, dum justus pro injustis mortuus est Rom. V. 8. nosque a morte æterna liberavit. Bene *Augustinus* serm. 138. de Temp. *Uni mors data est, ut omnibus tolleretur. Cumque mors nostra sit peccati pœna, ideo mors Christi facta est pro peccato hostia.* Mori Christus debuit propter mortis destructionem. Mors Christi morti venenum facta est Hof. XIII. 14. Christus morti potentiam ademit Hebr. II. 14. 2. Tim. I. 10. Satis apte *Bernhardus* Serm. II. in Nativ. Dom. *Morte Christi mors nostra est mortua.* Ex quibus omnibus satis liquet, mortem Christi omnino fuisse satisfactoriam. (III.) argumentum est: Christum placida morte fuisse defectum, a qua dolores mortis æternæ

æternæ

ternæ abfuisse videntur. *Resp.* Placida omnino Christi mors est & respectu sui ipsius & respectu victoriæ jam deportatæ. Respectu sui ipsius placida fuit. Marcus & Lucas adhibent verbum ἐξήστεινευσε, *Er ist ausgegangen wie ein Lichtlein verlöschet / ehe man es gewahr wird und ehe man es versihet.* Respectu victoriæ deportatæ placida fuit; superaverat enim maximos dolores, ac de resurrectione securus erat. Sed a placida Christi morte non abfuit maledictio. Nam quam diu Christus in ligno pependit, sine dubio eatenus nostri loco sub maledictione fuit juxta Gal. III. 13. Maledictio autem hæc, quæ in morte & post mortem adhuc durabat, typice figurata fuit. Pependit vero Christus in ligno ut maledictus, quo nos essemus benedicti. Tota spes nostra in morte Domini nostri. Morsejus meritum nostrum, & refugium nostrum, salus & vita nostra, loquimur cum *Anselmo.* (IV.) Argumentum hoc: Fidelibus adhuc moriendum est, ergo Christus pro iis sua morte non satisfecit. *Resp.* Male profecto ex morte fidelium concluditur mortem Christi non fuisse satisfactoriam. Nam mors fidelium ac piorum non est pœna, sed habet ex instituto Dei rationem medii ad glorificationem ducentis h. e. velut, porta est ac janua, per quam in æternæ beatitudinis domicilium ingrediuntur fideles ac beate mortui. Desiit ergo per mortem Christi mors esse quod fuit antea irati judicis pœna & mortis secundæ janua, id quod etiam *Catechesis Palatina* Qu. XLII. agnoscit, quam Altingio merito opponimus.

QUÆSTIO IX.
UBINAM SANGVIS CHRISTI, QUEM
EFFUDIT, MANSERIT ?

§. I.

Pontificiorum quidam, *Sylveſter, Cajetanus & Thomistæ* plerique putant, sanguinem Christi adhuc in terris adſervari & in

D 3

resur-

resurrectione non fuisse totum a Christo reassumtum. *Gabrie* tamen *Vasquez* Tom. I. in part. 3. f. 293. Contrarium docet. E *Reformatis* quidam asserunt, sanguinem Christi, quem tempore passionis effudit, compatruisse, nec rursus a Christo recollectum in venas dispersum, ut *Calvinus*, *Sadeel*, *Perkinsus* aliique E *Socinianis* etiam *Valentinus Smalzius* huc inclinat in Exam. 157. errorum err: 155.

§. II. Sed vero blasphema hæc est sententia. Non enim corruptibili re redempti sumus, sed pretioso Christi sanguine, qui corruptibilibus rebus opponitur I. Petr. II. v. 18. 19. & proprius Dei sanguis fuit Act. XX. 28. quem putrefactioni subicere inconueniens. Nec res corrupta pretium nostræ redemptionis esse potuit, ac corruptionem videre de Christo negatur Psalm. XVI. 10. Christi carnem non vidisse מַחְסֵה corruptricem foveam, ut Psalter loquitur, vel διαφθορᾶς , ut Petrus Act. II. 27. De ejus ergo sanguine, qui integralis corporis Christi pars similiter negandum erit. Quare eum a Christo receptum credimus. Vid. B. *Varenii* Disp. ad Luc. XXII. 43. & 44. Sect. II. dogm. Quæst. ult:

QUÆSTIO X.

AN RECTE DICATUR: UNAM SANGVINIS CHRISTI GUTTAM FUISSE SUFFICIENTEM AD REDEMPTIONEM NOSTRI CONFICIENDAM?

§. I.

C*Lemens VI.* Papaguttam sanguinis modicam suffecisse delirat proximus errori discipulorum veritatem mortis Christi abominantium, & quoslibet dolores metaphoricè, ut videtur, accipientium. *Veteres* quidam usi etiam fuerunt hac phrasi, ut videre licet ex hymno in Ecclesiis nostris usitato: Wo soll ich fliehen hin &c. Cujus versus nonus ita sonat: Dein Blut der edle Saft / hat solche Stärck und Krafft / daß auch NB. ein Tröpflein kleine die ganze Welt kan reine / ja gar &c. Qui excusari possunt, quod scilicet sufficientem dixerint ad
tantum

tantum conficiendum opus unam guttulam, si dignitatem personæ effundentis spectemus, non vero ratione decreti & consilii divini, juxta quod justitiæ ac misericordiæ gloria largissime in hac victima demonstrari debuit, quo sensu & phrasin istam non simpliciter rejiciendam esse censent B. D. *Balthasar Meisnerus* in *Antrop.* Dec. III. Disp. XXIV. in Respons. ad arg. X. th. 7. B. *Affelmanus* in *Medit. Theol.* super orac. Pauli Act. XX. 28. §. 97. B. *Justus Feurbornius* in *Synt. Sacr. Disqu.* Vol. I. p. 3. Diss. VII. p. 694. B. D. *Danb.* in *Christosoph.* p. 153.

§. II. Attamen tutius est abstinere ab hoc loquendi modo, quia scilicet is (I.) Ignotus est Scripturæ (II.) Quia ex suppositione Decreti divini, in verbo scripto nobis revelati, ne quidem potuit sufficere una gutta. Homo mortem meruerat. E. ipsius Vadem oportuit mortem pati, & consequenter tantum sanguinis opus erat, quantum ad mortem victimæ requirebatur Ebr. IX. 22. sine sanguinis effusione tanta, quanta ad mortem animalis victimæ sufficiebat, nulla fit remissio peccatorum conf. Matth. XXVI. 54 Luc. XXII. 37. (III.) quia, an citra interventum decreti divini de effundendo copioso sanguine una gutta ad redemptionis opus peragendum sufficere potuerit, otiosa sane ac inutilis est quæstio. Nam non hic spectandum quid fieri potuerit, sed quid Deus fieri voluerit. Voluit autem ipse non una gutta, sed torrentibus sanguinis ablui animarum nostrarum sordes; id quod patet ex ipsa executione; Si enim Deus hoc nolisset; Christus unicum tantum effudisset guttullam Vid. B. D. *Königii* Disp. de Candido & Rubicundo cap. I. 22. Contrarium comminiscuntur illi, qui volunt in satisfactione Christi esse aliquid superfluum recondendum in thesauris Ecclesiæ, quod ipsi dispensent Christum habentibus ut necessarium, quasi in Christo & in gutta sanguinis (potius in sanguine) non haberent satis, mire secum pugnantis inquit *Coccejus* Tom. VI. opp. in *Summ. Theol.* LXI. §. 15. f. m. 218. Hæc de Christo totius generis humani Redemptore impræsentiarum pertractata sufficiant. Obsigno ea illis verbis, quibus colophonem imposuit B. D. *Klotzius* Tractatui de sudore sanguineo Christi: *Gaude O homo! & exulta in Domino Salvatore tuo, gaude in Christo humiliato & infra Angelorum ordines dejecto, gaude*
in

in Christo mæsto & infirmo & ab Angelo conforto, illumque jam postea ceu scalam in horto Getsemane erectam contuere, super quam Angelos tutelares tuos ascendentes & descendentes ad ministerium tuum semper habebis; Tibi vero o Angelorum Domine, qui propter me minor Angelis factus es (Sanguinem sudasti), Laus sit & gloria in omnes eternitates. Amen.

F I N I S

p. 1. §. 1. lin. 4. pro 312. leg. 104. sq. p. 5. pro 2. Thess. II. l. 2. Thess. 1. p. 15. pro Rom. III. leg. Gen. II.

AD

NOB. ET CLARISS. DN. RESPONDENTEM.

Dum in aliis studii Tui Theologici partibus industriam Tuam & proficiendi ardorem, doctissime HABERSACKI, merito amo laudoque, quum in scholis meis privatis quotidie oculis meis obversaris & alacritatem tuam indefessa presentia & ferta attentione opere ipso mihi demonstras, judicare facile potes, quanto opere probem presens institutum Tuum, quo & publica cathedra honorem ambire, exque eadem eruditionis Tuæ edere documenta nequaquam vereris. Hanc enim qui subterfugiunt, vel suæ sibi infirmitatis conscii sunt, vel in Academia non ut scientiarum & virtutum officina, sed ut in teatro vitæ liberioris & fœdarum voluptatum vivunt. Qui vero de argumento gravi & in Christianismi exercitio utili differere cum commilitonibus, audiente frequenti aliorum confluxu, non dubitant, eo ipso documento ostendunt, tantum se studio & diligentia assecutos esse, ut & aliis id audeant palam facere & reddere laboris sui rationem. Macte igitur hoc animo Tuo, quem Tibi Deus conservet & quotidianis studiorum Tuorum incrementis adaugeat! Ita enim & necessitudini Tuæ singularem voluptatem & patriæ spem indubiam, fructuum ex Te olim ad Ecclesiam redundaturorum, conciliabis. Quod ut felicissimo cum successu fiat, Deum omnis boni fontem ardentissimis precibus imploro. Scr. die V. Martii MDCCIV.

JO. FECHT. D. P. P. Consist. Duc. Adf.
& Distr. Rostoh. Superintend.

Coll. diss. A. 205, misc. 10